



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XI. De Dimissoriis litteris, & Ordinatione extra tempora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)



TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

DECISIO XI.

De Dimissoriis, & Ordinatione extra tempora.

PAUCIS abhinc annis profecti sunt Ingolstadii in quandam Civitatem Episcopalem verno tempore ad recipiendos SS. Ordines duo Religiosi Exempti Ordinis, quorum Monasterium in alia dioecesi situm est, instructi tamen commendatiis seu dimissorialibus litteris à suo Reverendissimo Abbate. Illos comitatus Constantiensi pariter habens dimissorias à suo Episcopo, petens tamen sibi extra tempora à jure præscripta Ordinem Diaconatus conferri ab Episcopo, ad quem se contulerat, & quem credebatur vel sciebat privilegio peculiari gaudere ad Ordines extra tempora conferendos. Sed Vicarius Generalis & illos & hunc remisit non ordinatos, eò quòd sibi non satis certum foret, an ipsis conferre desideratos Ordines, & non servatis tempori-

bus licetè posset suus Episcopus. Irem proin, & Professorem SS. Canonum Ingolstadiensem interrogarent hæc duo. 1. An Abbates Exempti possint suos subditos Regulares pro Ordinibus sacris suscipiendis dimittere ad Episcopum alienum, in cujus dioecesi Monasterium non est situm. 2. An Episcopus, privilegio conferendi Ordines Sacros extra tempora instructus, licetè quoque extra tempora ordinet sæcularum non subditum, dimissorias tamen cum dispensatione in interstitiis habentem. Addidit, si responsum sibi favens in scripto asserrent, se paratum ad illos promovendos. Prudenter sane & circumspectè cautèque processit Reverendissimus Vicarius, nec minus humaniter, siquidem viso Professoris prædicti Responso, quod nunc subjicitur, & Religiosis illis & sæculari postea gratificatus est.

QUE-

QUÆSTIO I.

An Abbates Exempti possint suos subditos Regulares pro Ordinibus Sacris suscipiendis dimittere ad Episcopum alienum, in cuius diœcesi Monasterium non est situm?

Pro parte negante in speciem facit decretum Congregationis Cardinalium, quod mandante & approbante Clemente VIII. 15. Martii 1596. declaravit dispositionem Tridentini S. 23. c. 10. de Ref. sequenti tenore: Congregatio censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui prædictis qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, NB. ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, positus fuerit &c. Et hanc declarationem ad longum describunt Afcan. Tambur. de Jure Abb. to. 2. d. 2. q. 25. Pafecius in Praxi Episcopi c. 1. n. 14. Dian. p. 2. tr. 2. Miscell. resol. 15. Barbosa de Off. & pot. Episc. alleg. 7. n. 18. Pax Jordanus vol. 1. lib. 3. tit. 16. n. 14. testans, eam usu esse receptam. Ergo nullus Praelatus Regularis (extra casum, quo Episcopus proprius est absens, vel mortuus, vel aliis Ordines non collaturus; tunc enim permittit Declaratio) suos subditos Regulares ad alienum Episcopum pro Ordinibus suscipiendis dimittere potest. Nec excusat Praelatos Regulares, si prætendant privilegium, vi cuius sibi liceat suos subditos dimittere ordinandos ad quemcunque Epif-

copum Catholicum, communione cum Sede Apostolica conjunctum; quia Tridentinum sess. 23. c. 8. de Ref. mandavit, ut unusquisque ordinetur à proprio Episcopo, in cuius nimirum diœcesi existit, & nullatenus ei permittatur (qui ab alio ordinari petit) etiam cujusvis generalis Rescripti vel Privilegii prætextu. Et s. cit. c. 10. addit: non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorialibus. Neque ipsis patrocinatorum declaratio vel privilegium postea concessum Regularibus à Pio V. in Bulla sua 6. quæ incipit, Etsi Mendicantium, & n. 19. sic loquitur: Sessiois verò 23. c. 8. (neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse) statutum, in Regularibus locum non habere, declaramus; nam hæc Piana declaratio Tridentini loquitur tantum vel de Mendicantibus, cujusmodi Ordinum non sunt Abbatæ, vel de illis solis, qui gaudebant privilegio generali suscipiendi Ordines à quolibet Episcopo, cujusmodi Abbas, de quo nobis est sermo, non videtur habuisse. Gobat in Theol. Exper. tr. 8. cas. 11. n. 407. Roderiq. to. 3. qq. Regul. q. 24. a. 1.

Pro parte affirmante e contra, quam amplectuntur Tolet. l. 1. c. 49. n. 6. Avila

Avila p. 3. de Censur. disp. 5. dub. 7. concl. 1. Rodriq. qq. Regular. to. 1. q. 18. a. 6. Et to. 3. q. 24. a. 1. 2. Laym. l. 5. tr. 9. c. 9. n. 9. Barbosa de Off. Et pot. Episc. alleg. 7. cit. n. 31. P. König ad tit. de Clericis peregr. n. 7. ubi etiam passim eam praticari asserit, & Reverendissimus Vicarius Professoris SS. Canonum mente intellecta sequi dignatus est, pro parte, inquam, affirmante militat 1. Ratio negativa; quia in Jure nullibi reperitur adempta potestas Exemptis Prælati suos subditos Regulares dimittendi ad Episcopum extraneum, qui in aliis generaliter sunt exempti à jurisdictione Episcopi, eique subjecti non sunt. 2. Ratio positiva ex Tridentino s. 23. c. 10. de Ref. cit. desumpta: *nec ipsi Abbates, Et alii Exempti litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio ad Episcopos, intra quorum diocesis fines existant, pertineat*: ergo, cum Exemptorum potestatem expressè restringat, ne *Secularibus* dent litteras dimissorias, tacite permittit eas dari *Regularibus subditis* ad alienum Episcopum. Barb. lo. cit. Ludov. Miranda in *Manuali Prælatorum* to. 1. q. 39. a. 3. ubi refert, quæ nostram resolutionem 3. Confirmat, Clementis VIII. declarationem, quæ incipit *Ut ea*, datam à d. Pontifice 9. Martii 1592. ubi inter alia præcipitur, ut litteræ dimissoriæ Abbatis Exempti Monasterii de Alcobaca à qui-

buscunque locorum Ordinariis recipiantur & admittantur.

Argumenta partis negantis non stringunt. Imprimis enim Decretum illud, in quo Prælati Regularibus denegatur generaliter potestas concedendi suis subditis, etiam Regularibus, dimissoriales ad alienum Episcopum nec verbulò facit mentionem Prælatorum *Exemptorum*: in odiosis autem per Superiores & Prælatos Regulares, simpliciter prolatos, non veniunt Abbates Exempti; adeoque illa declaratio non afficit Superiores & Abbates Exemptos. Accedit, quòd consuetudo, optima Juris dubii interpretis, satis demonstrat, Exempti non esse ligatam potestatem in hoc puncto, cum passim soleant suos subditos Regulares etiam tunc, quando proprius Episcopus Ordinationes facit, ad alienos dimittere pro Ordinibus suscipiendis. Deinde, quod subnectitur de privilegio, quod Prælati Regulares fortè in hac re prætendunt, non urget; quia nostram resolutionem non fundamus in privilegio vel generalivel speciali, sed in Jure Communi, nempe Tridentino c. 10. cit. consuetudine recepta, & declaratione Clementis VIII. item in exemptione generali, vi cujus Exempti in aliis, consequenter nec quoad Ordines suscipiendos, Episcopis subjecti non sunt; cum nullibi in Jure quoad hos eisdem subjecti esse legantur. Interim tamen adverte, quòd neque privilegium, quo Regularibus, quorum 20. integras Religiones & particula-

res, quæ illud obtinuerint ante Tridentinum, Augustinus de Virgine Maria Carmelita in libro, cui titulus, *Privilegium omnium Religiosorum*, v. *Ordinatio* recenset, concessum est Ordinibus suscipere à quocunque Episcopo Catholico Communionem & gratiam Sedis Apostolicæ habente, à Tridentino revocatum sit, propter Bullam S. Pii cit. Gobat n. 407. cit. Neque etiam sublatum est per declarationem Cardinalium auctoritate Clementis VIII. editam, & supra recitatam, cum nec privilegii nec Tridentini faciat mentionem. Pax Jordan. n. 27. Gobat n. 408. Adde, quòd Abbas exemptus ille, qui suos Religiosos, de quibus loquimur, voluit ordinari ab

Episcopo extraneo, asserat, sibi & suo toti Ordini competere privilegium suos Regulares subditos ordinari à quovis Episcopo Catholico faciendi, cujus assertioni rectè creditur per *can. Nobilissimus vir dist. 97.* eò quòd privilegium huiusmodi vel potuerit esse concessum post Tridentinum, vel generale ante Tridentinum, cui, ut diximus ex Rodriq. non est derogatum à Tridentino. Sic Paulus V. ut etiam notat Palaeus *tr. 29. p. 13. n. 12.* innovavit omnia privilegia, à quibuscunque Pontificibus nostræ Societati aliquando concessa, licet ab uno vel altero Pontificum interea fuissent revocata.

QUÆSTIO II.

An Episcopus, privilegio conferendi Ordines Sacros extra tempora instructus, licet possit ordinare extra tempora secularem non subditum, dimissorias à suo Ordinario habentem cum dispensatione in Interstitiis?

Videbatur mihi prima fronte, privilegium conferendi Ordines extra tempora Ordinationum, à Jure Communi præscripta, Episcopo generaliter concessum, se non extendere ad alienos subditos, licet dimissorias cum dispensatione in Interstitiis instructos, eo ex capite; quia omnis dispensatio requirit jurisdictionem in dispensante. *arg. c. 15. de tempor. Ordin. & c. 16. de Majorit.* sed in alienum dicefanum non datur jurisdi-

ctio, nisi hæc specialiter concedatur ab Episcopo proprio, ut clarum est: quæ tamen jurisdictio per concessionem dimissorialium & dispensationem in Interstitiis non videtur esse concessa: ergo neque potestas dispensandi cum extraneo ad conferendos ipsi Ordines extra tempora, seu potestas ordinandi extraneum extra tempora. Ferè sicut per hoc, quòd Episcopus suo subdito det dimissorias, non censetur dispensare in Interstitiis, vel al-

teri hanc dispensationem concedere. Verum re penitus perpensâ

Censui, & adhuc cenfeo, licitum esse Episcopo extraneum, à suo Ordinario dimissum, & in Interstitiis dispensatum, ordinare extra tempora vi privilegii sibi generaliter ad dispensandum in temporibus, seu ad Ordines extra tempora conferendos concessi. Idque ex duplici fundamento.

1. Privilegium conferendi Ordines extra tempora generaliter & sine restrictione ad proprios subditos Episcopo concessum generaliter est intelligendum. *l. 1. ff. de legat. præstand. l. 15. §. 26. ff. de Injur.* ita ut comprehendat omnes illos, quos Episcopus aliàs & de Jure vel consuetudine ordinat licitè: sed dimissos & in Interstitiis dispensatos aliàs de Jure ordinat licitè, etiam non servatis Interstitiis: ergo etiam non servatis temporibus à Jure præscriptis; siquidem speciali permissione Episcopi proprii non indiget ad ordinandum ejus subditum extra tempora; eò quòd Episcopus proprius quoad tempora Ordinationum, utpote à Jure Communi determinata, atque ab ipso independentia, nihil omnino possit, proinde nec prohibere, nec dispensare, nec ordinationem extra tempora concedere; adeoque sufficit potestas à Summo Pontifice, penes quem solum est dispensare in dictis temporibus, per privilegium alicui sine restrictione ad subditos concessum Ordinandi extra tempora; præsertim cum hujusmodi privilegia, in nullius præjudicium ten-

dentia, sint latæ interpretationis. *c. 22. de Privil. c. 16. de V. S. c. 15. de R. 1. in 6.* nam Episcopus dimittens & in Interstitiis dispensans jam omnem suam potestatem, quam in Ordinandum suum subditum habuit, à se abdicavit, quoad tempora Ordinationum verò nullam habuit, & sic per Ordinationem sui subditi extra tempora nullum ipsi creatur præjudicium.

2. Episcopus obtinens privilegium Apostolicum absolvendi à peccatis certis, v. g. ab hæresi, potest vi hujus privilegii absolvere non tantum proprios subditos, sed etiam peregrinos, & ex alienis dioecesibus ad se adventantes (quia etiam istos saltem vi consuetudinis & tacitæ priorum Episcoporum licentiæ ab aliis peccatis, Sedi Apostolicæ non reservatis rectè absolvit) licitè & validè absolvit ab hæresi: ergo, sicut in ordine ad Sacramentum *Pœnitentiæ*, & ad absolvendos alienos subditos à peccato Sedi Apostolicæ reservato sufficit ipsi privilegium Apostolicum, nec opus est speciali licentiâ priorum Episcoporum ad hanc absolutionem à peccato Papæ reservato, circa quod nulla potestas Episcopis propriis concessa est, sed sufficit eorum licentiâ tacitè data quoad alia peccata, ipsorum jurisdictioni subjecta: ita in ordine ad Sacramentum *Ordinis*, & ad ordinandos alienos subditos extra tempora, circa quæ nihil possunt Ordinarii proprii, sed solus Papa, sufficit privilegium solus Papæ, nec opus est speciali licentiâ priorum Or-

Ordinariorum, qui suam potestatem, quam habent ad conferendos Ordines suis subditis, jam omnem transtulerunt per dimissoriales & dispensationem in Interstitiis. *Antec.* tenent Sanch. Garc. Zerola, Bonac. Palao, & alii apud & cum Barbofa de *Offic. & potest. Episc.* alleg. 39. n. 5. Pirhing, & fortè omnes alii, qui hanc rem examinârunt. *Consequentia & paritas* stringit. Atque hoc argumentum à pari est bene notandum. Sicut enim legitime & cum licentia suorum Episcoporum adventantes extranei licite absolvuntur à peccatis Papæ reservatis ab habente privilegium Apo-

stolicum, ita planè extra tempora ordinantur licite extranei legitime & cum licentia suorum Episcoporum adventantes ab habente privilegium Apostolicum ordinandi extra tempora.

Scrupulus, qui initio me invaserat, facile contemnitur, & rejicitur, si dicatur, potestatem dispensandi in temporibus non pertinere ad Episcopos proprios, atque ideo ab ipsis specialiter dari & expectari non posse: sed pertinere ad Sedem Apostolicam, quæ eam specialiter concessit, indulgendo Privilegium illimitatum, & non restrictum ad proprios subditos ordinandi extra tempora.



TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

DECISIO XII.

De Ordinato, qui in Examine defectum Canonicum occultavit per mendacium & fraudem.

SPECIES FACTI.

Festinantius absolutò Theologiæ Moralis studiò proximam spem ad Beneficium, quod requirebat Ordinem Presbyteratûs, aliorum patroniò consecutus fuerat; quia verò sciebat, sibi, utpote vigesimum tertium ætatis annum necdum egresso,

(R. P. Picbler Decisiones.)

obstare defectum Canonice ætatis, ideo finxit schedam baptismalem, in qua falsò & per mendacium scribi curavit annum nativitatis suæ illum, à quo si fiat numeratio, justa & à SS. Canonibus præscripta 24. annorum completorum ætas se prodidit, Quapro-

M

pro-